



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam Iesu in templo reperti. Ode Tricolos Tetrastrophos XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam Iesu in templo reperti.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XLII.

DVM virgo casti sollicitis viri
Adiuta curis, querere filium
Desideratum condolenti
Voce rogans loca cuncta lustrat:

Fulgente solis lumine tertij,
Templi in reductis adibus inuenit
Inter senum eruditiorum
Non tacitum puerum cathedras.

Confusa circum turba stupentium,
Responso fixis combibit auribus,
Mirata maturum loquentis
Consilium ingeniumq; princeps.

Quae tanta vis, quid pectore numinis
Caelestis, aiunt, in tenero latet?
Quis verba deuoluens diserta
Spiritus ore mouet tenello?

Miranda certe audiimus omnia,
Quondam neq; ipsis nota Prioribus.
An ne? hunc putemus haec magistro
Ex homine aut didicisse libris?

Atqui & profundis consiliis Dei
Praesens videtur nunc animo frui,
Inde & relatos explicare
Quos rogat insinuatq; sensus.

Aut illa caelo, non nimium diu est,
Mens venit, artus induit & nonos,
Vocesq; promens efficaces
Se puerumq;, Deumq; praebet.

GRA-

GRATIAR. THESAURVS.

*Divine studium Sophia pulcherrima vite
Esse, puer, nobis munera, sancte, probas.*



DIVINITATI EMICANTI. S.

In